182

Ex dono Edv. Joynes authoris, 3. Jun. 1692

Armante Gulielmo

ANNO SALUTIS

1692.

PRiscæ defensor Fidei Gulielmus in altum
Gallorum parat arma Tyrannum,
Europæ magis infestum, quam barbarus Afer
Assuetus spoliare beata
Merce rates, subitisque Scythes incursibus agros
Invadens cum Thrace Polonos,
Tune Deus, similisve Deum es, cui nutus, & Anglæ
Legis egens, effræna voluntas
Sævit in imperiis, teque inclementior ipso
Aula tuos immania jussa
Exerit in populos? cui dextera cædibus apta,
Ac flammis armata quietos
Fulminat in Belgas, & Iberis subdita regnis
Oppida, nobiliumque remotas
Germanorum oras? cui rerum arcana remittit
Corrupta Legatus ab aula
Subdolus, & Domino vigilans objectat inermem
Incauto cum Principe plebem
Prædam expectatam? cui militat orcus, & horrens
Eumenidum servire caterva
Gaudet, & exciti veniunt ad classica manes
Tarquinii, rabidique Neronis?
Tun' ut Alexander, vel Cæsar, miles haberi
Fortis aves, & Martius heros?
Belligerum hic monstrum est, & Princeps ille latronum,
Tuque scelus Duce majus utroque es;
Gentium enim indomitarum urbes, & mænia deles
Flagrum ingens, atque ira Tonantis,

Nec

Nec muros tamen enſe petis, ſed munere cæco,
Nec vincis, ſed deſtruis orbem,
Pænorumque fidem ſequeris merſus Afer, & una
Fœdus inis, & rumpis in hora,
Supremum ante diem minitans incendia mundo
Pæne Moſam & ficcantia Rhenum;
At cave, Mars etenim in campis Gulielmus, & idem
Cæruleis Neptunus in undis
Immenſas acies in littora ducit, & ingens
Vindictam trans æquora claſſis
Nobile portat onus, Jamque, O mi Galle, leones
Diſcerpunt tua lilia, flores
Pulvere nitrato fœdos, nec ſanguine ſolum
(Ah) nimio, ſed & igne rubentes;
Fallimur? an certum eſt peditumque equitumque Britannorum
Audaces irrumpere turmas,
Lutetiam in magnam, & preſſo juga demere vulgo,
Ac duras reſcindere leges?
Certum eſt? Anglus (io) Rhodanum, & te, Sequana, victor
Tranat ovans, Ararimque ſubactum.